



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Extrema Unctio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

illis verbis : *Tu autem Domine nē longē facias misericordias tuas à me , usque ad finem . Item Psalmus quadragesimus primus .*

Extrema Unctio .

I*nfirmatur quis in vobis (græcus textus est , periculosè quis decumbit) inducat Presbyteros Ecclesia , & orent super eum (hic indicatur forma) ungentes eum oleo in nomine Domini (hic indicatur materia) & oratio fidei salvabit infirmum , & alleviabit eum Dominus , & si in peccatis sit , remittentur ei . Ep. Jac. v. 14. & 15 .* His verbis indicantur tres effectus hujus Sacramenti . *Primò .* Salvatur infirmus quoad corpus teste Trid. Si id ei ad salutem suam æternam expedit . In tantum etiam quoad animam salus infirmo obvenit per hoc Sacramentum , quod ex opere operato conferat gratiam & auxilia ad resistendum Dæmoni , & felicem transitum è vita temporali ad æternitatem procuret . *2dò .* Alleviatur infirmus per hoc Sacramentum , quia accipit solatium , levamentum , si non in doloribus corporis , certè in angustiis animi . Cùm conferat vires & gratiam ad plenam in divinam voluntatem resignationem . *3tio .* Vi hujus Sacramenti imprimis remittuntur venialia , & pœnæ etiam temporales (quot , Deus novit (ob peccata mortalia jam remissa adhuc restantes . Dein si quis peccati adhuc mortalis reus confiteri non possit (in quo casu debet , dum suscipitur hoc Sacramentum , præmitti saltem attritio) vel ex ignorantia inculpabili fecit Confessionem
inva-

invalidam. Tunc si attritio saltem præcesserit, vi Sacramenti Extremæ Unctionis etiam remittuntur peccata mortalia.

Ante S. Unctionem post Litanias de omnibus Sanctis vel breviores, quæ in fine Breviarii habentur, dicitur Oratio sequens à Sacerdote.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. extinguatur in te omnis virtus Diaboli per impositionem manuum nostrarum, & per invocationem SS. Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Dum jam Sacerdos ad te intingendum se accingit, invoca corde Patronos morientium in vita à te hunc in finem electos B. V. S. Josephum, SS. Joannem Bapt. Apostolos Petrum & Paulum, S. Barbaram, Sanctos ordinis tui, Angelum tuum Custodem, Sanctos, quorum nomina tibi, parentibus, fratribus ac sororibus tuis in Baptismo fuere imposita, eo etiam fine, ut bona pro iis intentio proficere sive vivis sive defunctis. Dein elice tam perfectam ac potes attritionem præmissis actibus fidei, spei, caritatis. Orationem autem hanc *In nomine Patris, & Filii &c.* & verba formulæ ad quamlibet unctionem, si potes, in agone simul exprime cum Sacerdote, eaque, dum sanus es, in vita tua sæpius relegere & rumina. Et sic, dum actu inungeris, tibi que præsens es, affectus cuilibet unctiōni accommodati tibi erunt eò faciliores majorisque meriti, quos hic subijcio.